



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm  
Miracvlorvm Libri II**

**Petrus <Cluny, Abt>**

**Coloniae, 1611**

I. De miraculo quod in Auernico territorio contigit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)



# LIBER I.

## DE MIRACULO QUOD IN AVERNICO TER- ritorio contigit.

### CAPVT I.



RAT in Auernico ter-  
ritorio rusticus qui-  
dam habens aluearia,  
in quibus examina a-  
pum melleam fauo-  
rum dulcedinem con-  
ficere solent. Quas  
iam dictus rusticus aut euolare, aut  
emori, aut aliquo casu sibi deperire  
pertimescens, vsus prauo sortilegorum  
consilio, qui diabolica operatione, etiam  
de beneficijs Dei, maleficia facere con-  
sueuerunt, & ( quod est dictu intolerabile )  
ipsis quoque diuinis sacramentis  
per artes magicas abutuntur, accessit  
ad Ecclesiam, & sumpto à sacerdote ( vt  
mos est Christianorum ) corpore Do-  
minico, illudque ore retinens, nec glu-  
tire volens, vt iam doctus fuerat, ad v-

num de iam dictis aluearibus, in quo apes continebantur, accessit, atque foramini quod in eo erat ori adaptato, sufflere coepit. Nam dictum sibi fuerat, quod si corpore Domini ore retento apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moteretur, nulla recederet, nulla deperiret, sed omnibus integrè conseruatis, de augmento fructus multò amplius quàm ante gauderet. Fecit igitur vt dictum est, & ore applicito, flatum ad interiora toto conatu mittebat. Cumque auidus lucri anhelitum protrahens vehementer sufflaret, ipso linguæ & aëris impulsu, iactum Dominicum corpus, iuxta vas illud ad terram corruit. Cum ecce omnis illa apum multitudo de intimis egressa, ad corpus Domini sui reuerenter accurrat, atque in morem rationabilium creaturarum de terra subleuatam, habitaculis suis cum multa veneratione, homine illo conspiciente, induxit. Quod cernens homo, aut negligens, aut parvipendens quod acciderat, ad alia agenda ad quæ domestica cura eum vocabat, gressum conuertit. Sed dum iter ageret, repentino; & (vt ipse post narrabat) intolerabili timore turbatus, se nequiter egisse, tandem mente sanior cogi-

cogitare coepit. Vnde compunctus, immo vi interna compulsus, mox retrò pedem tulit, atque in vindictam sceleris sui apes, quarum vitam opere nefario cōseruare voluerat, superiniecta multa aq̄e violentia, enecauit. Quibus extinctis, dum intima fauorum, quos sibi recondere & cōseruare volebat rimaretur, ecce (mirabile dictu) conspicit corpus Dominicum, quod ex eius ore lapsum fuerat, in formam speciosissimi pueri veluti cum recens nascitur immutatum, inter fauos & mella iacere. Ad quod miraculum vt dignum erat, stupefactus intremuit, sed quid inde agere deberet aliquandiu hæsitans, hoc apud se inuenit consilium, vt eum in manibus accipiēs, ad Ecclesiam deferret, & quia sibi exanimis videbatur, nullo sciente solus Deum puerulum tumularet. Quod dum aggressus esset, eumq̄e in manibus sumens ad Ecclesiam quasi secreto tumulandum portaret, subitò ab indignè ferentis manibus inuisibiliter ereptus, disparuit. Quæ nuper gesta, ipse quidem ita per ordinem proprio presbytero, presbyter autem suo Claramontensi Episcopo, ille verò mihi, ego quoque omnibus istud legentibus scri-

*Iniuria dominico serpori facta etiam hic punitur à Deo.* bendo intimare curavi. Nec verò tanti piaculi ex toto in posterum dilata vitio fuit, sed in breui locus ante populosus, vario casu habitatore pereunte, in solitudinem redactus est.

*De quodam Presbytero diuina mysteria indignè tractante.*

## CAPVT II.

**I**TEM in teutonicis partibus presbyter quidam, dum religiosam agere vitam videretur, & penè quotidie sacramissarum solemniam celebraret, dumque sibi minus cautè prouideret, hostis antiqui insidias incurrit, & iam turpem sed occultam peccati foueam, carnis delectationem delapsus est. Sanctimonialem namque quandam dum in primis gratia visitationis adiret, ad postremum assiduitate colloquij, & incauta familiaritate allectus, miserabili casu in illam incurrit. Qui cum post lapsum ad ad cor redire, & quam cito resurgere debuisset, proprijs secibus delectatus, diu conuerti distulit, & peccatum peccato adiungens, vsum peccandi fecit, sicque longum funem quo arctius stringeretur, assidue

pec-